

Johann Eler Georg Segebadius

## **Disputatio Pneumatica De Intellectu, Seu Omniscientia Dei**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729452190>**

Druck Freier  Zugang



Inacs. Coler, Johannes  
Resp. Segebad, Georg

R. u. phil 162b



*Phil.*

Disputatio Pneumatica  
DE  
INTELLECTU, SEU  
OMNISCIENTIA DEI,

*Quam*

AUSPICIO SACROSANCTÆ TRINITATIS  
&  
*Consensu Ampliſſimi Senatus Philoſophorum*

in  
*inclutâ ad VARNUM Academiâ*

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS ELERI

Rigâ-Livoni

*Publicè defendendam ſuſcipiet*


GEORGIUS SEGEBADIUS

Sundio-Pom.

*In Acroaterio Majori ad diem 4. Novemb.*



*Laërtius in vita Thaleti refert, ipſum auream phialam, à Bathicle,  
Arcade relictam, ut daretur, cui prima eſſet Sapientia, ſibi  
traditam reculâſſe, ac Deo in Delphis dicâſſe. Quo ipſo  
Deum primam ſapientiam judicavit.*



ROSTOCHI

*Typis JOACHIMI PEDANI Anno 1626.*

Diplomatio Pochmann

INTELLECTU SEU  
UNIVERSITATIS





Disputatio Pneumatica  
*QUÆ EST*  
DE INTELLECTU SEU  
Omniscientiâ Dei,

*RESPONDENTE PUBLICE*  
GEORGIO SEGEBADIO Sund. Pom.

Continuatio.

**Æ**ternitatem excipit DEI omniscientia, quam ut ritè ex lumine rationis, prout fieri potest, deducamus, nauas imitari lubet, qui, quò feliciùs fretum transeant, & scopulos evitent, Cynosuræ observant situm, ad quem cursum instituunt, & iter securi explicant; sic nos, quò citiùs metam attingamus, & errorum voragines evitemus, DEI summam perfectionem instar Cynosuræ hîc attendemus. Lex nobis esto: *Divina ex abjecta creature conditione estimanda non sunt.* Si autem rationes nostræ, benevole Lector, animum tuum non demulcent, cogita illud Plinij: Verum & Dijs lacte rustici, multæq; gentes supplicunt, & molâ tantum falsâ litant, qui thura non habent. Adde & illud: Est aliquid prodire tenus si non datur ultra.

POST-

# POSITIONES PNEUMATICÆ.

I.



**N** descriptione Omniscientiæ seu Intellectus divini duo potissimum observentur I. ὀνοματολογία seu Explicatio nominalis. II. πραγματολογία seu Enodatio realis.

I. ὀνοματολογία  
in qua  
I. Notatio.

2. ὀνοματολογία hinc triplex esse potest  
I. ἐπιτολογία s. Notatio. 2. ὁμωνυμία seu Equivocatio. 3. Συωνυμία s. Equipollentium terminorum collectio.

3. In Notatione duo attendi possunt. I. Origo, secundum quam Scientiæ à sciente derivatur, scilicet denominatione & derivatione  
I. Grammaticâ, quæ in Primitivis respicere solet syllabarum paucitatem 2. non autem Logicâ, quæ id prius nuncupat, in quo intellectus noster primum invenit potentiam obedientialem recipiendi notionem secundam, id quod contingit in denominante, quod prius est denominativo, & eò, quod à denominativo proficiscitur; juxta Reg. *Omne abstractum est prius suo Concreto.* Hinc Logicè à Scientiâ denominatur quis sciens, quemadmodum à justitia justus, & consequenter jus quod à justo promanat: Licet contra Grammaticè Justitia à jure denominetur.  
II. Impositionis ratio. Dicitur autem hæc Notitia I. Omniscientia (I.) non ratione modi, q. Deus omnem intelligendi modum, complexim sumtum, formaliter possideret, vid. etiam illum, qui fit per speciem intelligibilem, & mensurationem ab objecto intelligibili. Hæc enim Complexio imperfectionem importat, ceu ex seqq. patebit. Unde hinc potius notetur tritus ille Canon Philosophicus: *Quicquid perfectionis est in Creaturis formaliter, illud in Deo est eminenter & virtualiter.* (2. sed ratione objecti, quod Deus cognoscat omne scibile, non tantum seipsum, sed & omnia alia, tum universalis, tum particularia & singularia. Unde scientia DEI quandoque dicitur *universalis*, ratione (non determinati objecti, q. sit universalium tantum, sed) *extensionis*, quod se universaliter ad omne scibile extendat. 2. DEI, & quidem (I.) non objective q. Deus esset objectum notitiæ in alio vel etiam se, quo pacto de naturali Dei notitia

notitiâ in Disp 2. actum est. (2.) *sed subjectivè* quod ista notitia sit in Deo, per modum actus puri, ultimi, immanentis, & ejusdem realiter cum divina essentiâ.

4. De Equivocatione notetur, quod *Scientia sumi* possit dupliciter. I. *Complexè*, prout implicat & connotat actum voluntatis h. e. approbationem vel amorem. Sic Deus dicitur impios non novisse. II. *Incomplexè & simpliciter*, prout præcisè intellectum notat sine addito & connotato actu voluntatis. In præcisivâ hac abstractione *Scientia Dei nunc potissimum consideratur*, quia de voluntate alibi jam actum. Sumitur autem *Scientia incomplexè* rursus tripliciter. I. *Habitualiter pro habitu* aliquo notitiæ & scientiæ i. *Instrumentali*, h. m. Logica, concretivè sumta h. e. prout rebus necessarijs est immerfa & applicata, impropriè dicitur *Scientia*: juxta Reg. Zabar. l. 1 de Nat. Log. c. 5. & 6. *Logica rebus necessarijs applicata fit ipsa Scientia. Dixi notanter*, Logica Concretivè sumta, quia Logica abstractivè considerata non est *Scientia*, sed modus scientiæ, normam demonstrandi edocens. 2. *principali & reali*, firmo tamen; & sic *scientia* distinguitur, tum à fide, quæ respicit auctoritatem dicentis; tum ab opinione, quæ notitiam infert conjecturalem & languidam, ob conjunctam formidinem alterius partis contradicentis. Hoc modo *Habitus scientiæ rursus sumi* potest dupliciter (1.) *generaliter & Synecdochicè* (per Synecd. Spec. pro Gen.) pro omni habitu Theoretico s. Contemplativo. Ubi tamen notes

II. *Equivocatio.*

velim errorem divisionis *Scientiæ* in *speculativam & Practicam*. Quia 1. *differentia partis oppositæ non potest tribui parti oppositæ, & omnibus, parti isti oppositæ subordinatis*. Vide Clarifs. M. Gutk. amic. meum honorand. de Hab. Intellig. part. spec. c. 1. usu Philos. 1. 2. Confunditur *γνώσις* cum *θεωρησις*, ceu alibi Deo auxiliante fufius monstrabitur (2.) *specialiter* pro habitu apodictico & demonstrativo rerum necessariarum. Et sic contradistingvitur *Sapientiæ & Intelligentiæ* Arist. 6. Eth. c. 3. II. *Idealiter*, pro systematica habitus scientifici conscriptione, quippequæ saltem est signum externum & instrumentale scientiæ, non a ipsa scientia. Hoc modo systematica conscriptio *Physices*, dicitur *Phisica* scil. Metonymicè. Unde à systemate quandoq; dicimur scientes, non cum reali & principali denominatione, sed *secundaria* tanquàm ab instru-



mento & signo. *III. Actualiter*, ratione actus secundi, quo actualiter rem aliquam cognoscimus & scimus. *Hæc actualis notitia rursus* supponi potest *dupliciter* 1. *specialiter* & *determinate pro certa* & determinatâ *notitia actuali* & quidem (1.) *Judiciali*, quâ in processu judiciali cognosco *vel impietatis punitorem vel pietatis remuneratorem* (2.) *Experimentalis*, quando per experimentum aliquod actuale in notitiam rei deducimur Ubi notetur regula trita: *Multa scimus habitu, quæ ignoramus actu*. Sic & Theologi dicunt Adamum in statu integritatis habuisse cognitionem boni & Experimentalem & Theoreticam; mali v. non nisi Theoreticam. Similiter dicunt quasdam virtutes (scil. quæ sunt circa passiones, respicientes malum in eodem subjecto) fuisse in Adamo solum secundum habitum, non secundum actum experimentalem. 2. *Generaliter, pro quocumq; actu secundo* cognitionis; & quidem (1.) *impuro*, qui præsupponit actum primum. Hoc modo scientia sumitur in Quæst. Practicâ: An Incontinens agat sciens vel inscius? & rectè respondet Claris: Horneius Dis. Eth. 7. th. 16. quod incontinens agat inscius quoad actum secundum & quidem ratione propositionis particularis potissimum. Ubi *nota* quod actus primus respectu hujus impuri actus secundi duplicem obtinere possit respectum 1. *potentiæ passivæ*. 2. *principij activi*. Vide Svar. Disp. Met. 30. s. 15. n. 4. 8. (2.) *puro* respuente omnem actum primum. Et sic h. l. sumitur.

*III Synonymia.*

*V. Synonymum* hîc duplex esse potest. 1. *Proprium*, quod absq; Tropologica modificatione Deo tribuitur, dum hæc scientia dicitur Dei Intellectus. *Intellectus* autem, in statu præcisivo s. abstractivo consideratus, *præscindit ab intelligentia simplici*, quæ fit sine discursu, qualis indubiè est omnis Dei intellectio & nostra prima mentis apprehensio; & *à Complexâ s. discursivâ*, quâ discurremus à Cognito ad incognitum. Hinc consequenter patet, quod gradus intellectualis in homine habeat conjunctum gradum vegetativum & sensitivum non ex formali ratione & generali abstractione intellectus, ut sic; sed potius ex materiali & speciali conditione humani intellectus, qui aequaliter indiget gradu sensitivo ad suam operationem, saltem ut cooperante & administrante species. Vide Svar. disp. 30. s. 14. n. 13. Præterea Intellectus & ratio diffe-

differunt ut conceptus latior & strictior. Ratio enim notat propriè vim illam animæ, quâ discurremus s. qua movemur ab effectibus ad cognoscendas causas, aut à causis ad effectus, vel à præmissis ad Conclusionem, ut docet Scal. Ex. 307. s. 5. & 34. & 38. Ob hanc causam Philosophi Angelos vocare malunt communiori nomine Intelligentias s. Mentis, quàm rationales. 2. *Improprium* & *Tropicum*, quod Metaphoricam aliquam modificationem redolet, ut est *Visio Dei, quæ vox Deo tribui nequit propriè, ob visionis propriè dictæ determinatum* (1.) *principium* quod est tum potentia accidentalis visiva, tum sensorium corporeum, quæ omnia à Deo exulant. (2.) *objectum*, Nam Visio cognoscit tantum præsentia h. e. præ sensibus entia. At intellectus Dei etiam futura cognoscit, & impossibilia. Quare Visio Deo tribuitur per Metaphoricam saltem proportionem, juxta Reg. usitatam: *Corporalia quæ de DEO enunciantur ἀσώματα πρὸς θεῷ, intelligantur ἵεωπερὲς πρὸς θεῷ*. Unde rectè Damasc. l. 1. de fid. c. 14. Ista omnia quæ de Deo corporaliter & humano modo dicuntur, εἰκόνας, τὸ πρὸς, σύμβολα appellat divinarum operationum.

6. *Πεγαυολογία* respicit investigationem sextuplicem 1. *Existentiæ*. h. e. An detur scientia & intellectus in Deo. 2. *Definitionis*. 3. *Objecti*. 4. *Modi*. 5. *Proprietatis*. 6. *Divisionis*.

7. *Existentiæ* s. τὸ ὅτι vid. quod detur ejusmodi Scientia in Deo, *probari potest dupliciter* 1. *à priori* quasi videlicet à spirituali & immateriali Entitate h. m. *Omnis substantia immaterialis & spiritualis est intelligens. Atqui Deus est substantia immaterialis & spiritualis. E. Major* probatur ex Thom. 1. p. q. 14. art. 1. quia immaterialitas est causa unica, cur aliquid sit cognoscens, ita ut quo quid est magis immateriale, eò perfectius etiam cognoscat. Hanc rationem latius diducit Svarez Met. dif. 30 S. 14. n. 9. 10. & dif. 35. s. 3 n. 18. seqq. D. Gravver. p. m. cent. 1. q. uest. ill. dif. 2. q. 3 s. 3 *Minor* patet ex Disp. 2. 2. *A posteriori* vid. *operatione Dei* 1. *universali* h. e. ordine & pulchrâ harmonia hujus Universi h. m. Cujuscunque opera inanima prudenter diriguntur ad certum aliquem scopum, ille est dirigens intelligens. Atqui Dei opera inanima prudenter diriguntur ad certum scopum. E. *Major* patet ex Can. duplici (1.) *Effectus arguit suam Causam*. E. prudens ordinatio & directio prudentem

arguet

H.  
πεγαυολογία  
για εν  
qua.  
1. Essen-  
tia seu  
τὸ ὅτι.  
I.  
2.  
(1.)

arguet dirigentem & disponentem. (2.) *Omnis finis, ut talis, præcognoscitur.* Ratio Canonis est: quia Causalitas finis est motio Metaphorica, quæ certè fieri nequit absque intermediente cognitione Jam verò finis ille certus ab inanimatis præcognosci nequit, eò quod inanimata sunt. E. ab alia causà primà dirigente & intelligente vid. Deo, præcognoscetur, qui inanimata corpora in hunc dirigit, ut sagittarij manus sagittam Hinc rectè Philosophi antiqui dixerunt; *Opus naturæ est opus intelligentiæ.* scil. supremæ dirigentis. *Minor* probatur à corporibus naturalibus inanimatis (1.) per mutuuum influxum, vid. corporum superiorum in inferiora, quorum saluti illa prospiciunt impertiendo calorem, lumen &c. (2.) per loci naturalis desertionem: vid. quod nonnunquam corpora inanimata ob totius universi salutem & unitatem cum suo detrimento loca naturalia deserant. v. g. si arundo applicetur superficie aquæ, & inde attractione fistula ista evacuetur ab aëre, ilicò subit & ascendit aqua 2. *particulari* vid. productione creaturarum intelligentium h. e. angeli & hominis. Hinc ita: Quædam creaturæ sunt intelligentes. E. & creator. *Ratio* Connexionis est, quia nullus effectus excedit virtutem suæ causæ. Plura de hominis sapienti fabrica vide ap. D. Christian. Matth. Coll. 1. Antiph. Dis. I. thes. 74. sq.

(2.)  
II. Definitio que resolvatur in conceptum.

1. Latiorrem.

8. *Definitio* Omniscientiæ hæc esto: *Omniscientia Dei, est attributum Dei proprium, positivum, pure actuale, per quod uno eterno & simplicissimo actu omnia & singula cognoscit perfectissimè, infallibiliter & immutabiliter.*

9. *Descriptio* hæc resolubilis est in conceptum duplicem. 1. *Latiorrem* s. determinabilem 2. *strictiorrem* s. determinantem.

10. *Conceptus* latior s. determinabilis quadruplici describitur voce, dum Omniscientia dicitur 1. *attributum Dei*, cujus enodationem pete ex Disp. 3. 2. *propriam*, in contradistinctione attributi communis analogicè: quod enucleatur Disp. 4. 3. *positivum* in Oppositione attributi negativi, quod explicatur Disp. 5. 4. *pure actuale*, per remotionem omnis potentiæ Physicæ, s. naturalis, à qua actus proportionatus dependet, tanquam effectus à sua Causà. Ast intellectioni Dei, cum sit actus immanens, & consequenter eadem realiter cum divina essentiâ, repugnat esse effectum ab alio supe-

Superiori, ut à causa, propter divinæ Entitatis indepēdētiam. *Dixi  
notanter* per remotionem potentia Physicæ, quia quando Philoso-  
phi dicunt Deum posse omnia contingētia scire, si nimirum cer-  
tò futura essent, intelligunt potentiam non Physicam *vel* activam  
*vel* passivam, sed Logicam solum, quia objectum illud non habet,  
neque habiturum est talem conditionem, quæ in eo ut existente,  
representari possit. v. g. Deus non scit pluviam futuram cras, eò  
ipso quia non erit. Unde illa insufficientia in representatione  
objecti, ut existentis, non est ex parte scientiæ divinæ, sed objecti,  
quippe quod nunquam futurum est. Vide Svar. Dif. Met. 30. l. 15.  
n. 5. 7. Ex hisce patet jam error Fausti Socini, qui c. 8. præ Theol.  
ideò futurorum contingētium notitiam in Deo negat, quia quæ  
nullo modo sunt, ea ex ipsius rei naturâ nullo modo sciri possunt,  
cum res illæ nulli potentia aut scientiæ sint obnoxia, nec ullam  
omniò potentiam aut scientiam admittant. Nam ut in Deum  
propter puram actualitatem nulla cadit passio & mutatio, sic neq;  
passiva scientia. Unde passivâ suâ scientia Andatarum more aëra  
diverberat. Eundem errorem de potentia naturali adscribit Vorstio  
Gravverus p. m. Cent. 1. Q. ill. dif. 2. q. 3. th. 4.

11. *Potest autem hæc pura actualitas considerari in sensu du-  
plici 1. Absoluto, quid & qualis sit. 2. Comparato, in collatione cum  
ipsa divinâ essentia, quoad distinctionem vel identitatem.*

12. *In sensu absoluto si consideratur hæc pura actualitas  
divinæ scientiæ, tum intelligenda est 1. non de actu primo, quia hic  
esse nequit tum potentia receptiva ob ejus imperfectionem; quam  
pete ex thes. 10. tum principium activum, ceu patet. 1. ab absurdo.  
Quia hoc principium elicitivum distingueretur ab actu secundo  
immanente & consequenter compositionem in Deo induceret;  
quæ absurda. 2. à remotione specierum quasi, Quia istud activum  
principium neq; est potentia intellectiva eliciens intellectionem,  
quia hujusmodi potentia ob receptionem sibi proportionatam di-  
cit quandam imperfectionem, neq; habitus superadditus ob eju-  
dem (1) finem qui est facilitare actus potentia naturalis. Ast hæc  
facilitatio Deo repugnat, quia in ipsum nulla cadit potentia na-  
turalis accidentalis (2.) naturam accidentalem. Est enim omnis  
habitus accidens, quod à Deo exulat: neq; species intelligibilis ob*

Error F.  
Socini.

Intelle-  
ctionis a-  
ctualitas  
pura con-  
sideratur.  
(1.) Absol-  
ute 1.

B

eju-

eiusdem (1.) finem, qui est unire potentiae objectum per modum actus primi. At in Deo non est eiusmodi potentia (2.) effectum, vid. determinationem potentiae ad eliciendum actum v. g. intellectus noster cum finitam habeat vim, & ex se tantum sit in actu primo, non potest exire in actum secundum, nisi determinetur ab objecto, & specie ejus vicaria intelligibili. Ast in Deo non datur hujusmodi actus scientiae elicitus. *II. Sed actu secundo i. non impuro h. e. actu elicitu ex potentia per discursum vel aliud principium determinans. 2. sed puro & ultimo & quidem (1.) non extrinseco seu effectivo, qui a Deo fit effectivè & in creaturis subjectivè: Nam ipsum intelligere Dei s. actus sciendi, quo Deus res extra se creatas cognoscit, non potest esse extra Deum, quia absurdum est, Deum intelligere eò, quod extra Deum est, quum ne quidem humani intellectus operatio sit extra eum. (2.) sed interno & immanente, qui intrinseco modo se habet, ut tamen connotare possit quiddam extrinsecum objectivè, s. habitudinem ad res extra objectivè v. g. velle Dei. Hujusmodi actus internus & immanens etiam est scientia divina, quae est operatio divinae mentis interna. s. in ipso Deo.*

(2.) Comparate.

13. *In sensu Comparato, vid. in comparatione cum ipsa divina essentia, notetur quod hac scientia i. sit realiter eadem cum essentia divina, quia alias duplex suboriretur absurdum, dum in Deo daretur (1.) Compositio realis. Si enim intellectio divina (quae est in Deo juxta th. 12.) realiter non est ipsa divina essentia, sequitur quod sit creata vel substantia vel accidens. Ratio connexionis patet ex immediata oppositione Entis Increati & creati. Uno autem oppositorum immediatorum remoto, necessario ponitur alterum. Ast Consequens est falsum. Quia utrobique daretur realis compositio, ex terminis realiter distinctis & unitis in Deo, quod contra summam Dei simplicitatem. E. & antecedens. (2.) potentia passiva perfectibilis. Si enim Intellectio Dei non est realiter ipsa divina essentia, sequitur quod, ut actus, perficiat, divinam essentiam, ut suam potentiam. Ratio connexionis petatur ex Thom. 1. p. q. 14. art. 4. quia intelligere est actus & perfectio ipsius intelligentis, quum sit actus immanens, in ipso operante tanquam actus & perfectio ejus manens. Ast Consequens est absurdum propter divinam.*

nam *tum* perfectionem summam, ob quam divina essentia, ceu potentia, ab alio, ut actu, perfici nequit; *tum* immutabilitatem absolutam, E. & antecedens. De attributorum divinarum reali identitate cum divinâ essentiâ Vide plura Disp. 3. th. 35. seq. 2. *formaliter tamen & ratione eminentes. ratiocinatâ ab essentiâ divinâ differat*, quia distinctos habent conceptus in mente, fundamentum tamen qui obtinent in re.

14. *Conceptus strictior s. determinans* desumitur à scientiâ huius *objecto* intelligibili, quod denotatur voce omnia & singulari. 2. modo, qui describitur per unum æternum & simplicissimum actum 3. *proprietatibus* vid. perfectione, certitudine & immutabilitate. De singulis seorsim.

15. *Objectum* huius scientiæ *considerari potest* dupliciter I. *Generaliter secundum generalem habitudinem & conditionem objectivam* ad intellectum, quæ consistit in conformitate 1. non specificâ & adæquatâ s. *entitativâ*, ita ut propter objecti intelligibilis universalitatem, materialitatem, contingentiam, possibilitatem vel habitualem entitatem, etiam divina scientia fiat universalis, materialis, contingens, in potentiâ vel habitu &c. Ratio est quia scientia fit secundum modum scientis, ita ut scitum sit in sciente vel intelligente secundum modum intelligentis. Unde mutatio creaturæ à non esse ad esse in tempore non infert similem mutationem in creatore, ejusque visione, vid. ut similiter Deus moveatur ab ignorantia ad scientiam vel ab incertitudine ad certitudinem. 2. *sed*

*precisâ & representativâ* quæ consistit in proportione & similitudine precisâ objecti representati cum intellectu cognoscente. Hinc quando futura Deo dicuntur, præsentia præsentia ista intelligenda est (1.) non ratione coexistentiæ futurorum in Deo, q. futura & nondum in se existentia, existentiam suam haberent in Deo. I quia tali modo nihil etiam tum, quando in se revera est, & extra suas causas existit, in Deo existit, ut in se est, aliàs esset pars Dei. Cuiusmodi monet Rev. & Excel. Dn. D. Jac. Martini præcept. meus honorand in Disp. Solen. de Provid. Dei th. 145. 2. quia existentia proportionatur actuali Entitati, à quâ ratione saltem differt. Cum itaq; futura, ut talia, nondum habeant actualem Entitatem, quum non sint extra suas causas, ne quidem existentiam s. coexi-

1. Stri-  
ctiorem.

III. Obje-  
ctum.

1. Gene-  
rale.

”

”

”

”

”

”

sentiam habebunt. Contra Thomistas quosdam hoc nota, qui te-  
ste Bacano Theol. Schol. p. 1. tr. 1. c. 10. q. 10. statuunt, idè futura  
certò ac infallibiliter à Deo cognosci, quia illi semper sunt præ-  
sentia secundum realem existentiam. (2.) *neq; ratione divine existi-*  
*mationis*, q. à Deo illa existimarentur actu esse & existere. (3.) *sed*  
*ratione objectivæ representationis*, & certissima ac infallibilis prævisio-  
nis h. e. ut futura, quæ nondum existunt, ratione visionis Dei &  
apud Deum tam certò videantur, quòd aliquando in certis circum-  
stantijs certò sint futura, ac si jam in se revera existerent. Undè  
quando postmodum in natura existunt, nullam novam in mente  
divinà scientiam vel certitudinem efficiunt. Hinc Rev. & Exc.  
D. Jac. Martini th. 124. ait: Futura contingentia bona omnia,  
maxima, minima ratione visionis Deo sunt præsentia & sic infalli-  
biliter cognita & perspecta. II. *Specialiter*, secundum specialem  
enodationem certi & determinati objecti

2. *Speciale*

16. Et tunc Objectum divinæ scientiæ duplex statuitur 1. *Di-*  
*rectum*, quod directè & per se propter realem & veram Entitatem  
cognoscibile est. 2. *indirectum*, quod indirectè & obliquò vid. per  
& propter alterum reale & verum est cognoscibile.

(1.) *Dir-*  
*ectum.*  
1. *prima-*  
*rium.*

17. *Directum* objectum rursus duplex statui potest 1. *pri-*  
*marium*, quod primariò scibile est, ut *Ens independens* s. Deus &  
quæ in Deo sunt. Quod probatur viâ duplici 1. *positivâ*, & quidem  
ex parte (1.) *scientiæ quæ infinita*. Hinc ita: Scientia infinita est  
comprehensiva omni objecti scibilis. Atqvi divina scientia est in-  
finita. E. Major patet ex definitione infinitatis, quæ respicit omnem  
finem s. terminum, & importat omnem comprehensionem. Minor  
evidens est ex summâ Dei perfectione. (2.) *objecti scibilis* & quidem  
*argumentatione 1. simplici*, desumptâ ex divinæ Entitatis summâ Im-  
materialitate. Quò quid autem magis est immateriale, eò magis  
est intelligibile in actu. Vide Svar: Dif. 30. f. 15. n. 19. 2. *comparatâ*  
*à Minori ad Majus*, h. m. Si intellectus humanus Deum cognoscere  
potest, multò magis illum cognosceret divinus. Ratio petitur ex Ca-  
none Logico: *Si id inest; quod minus inesse videtur, & id inest, quod*  
*magis inesse videtur*. s. ut alij exprimunt: *Quod valet in re minori. va-*  
*let & in re majori.* 2. *Negativâ*, quia nulla adest causa, cur divinus  
intellectus apprehendere nequeat seipsum, adeoq; divinam essen-  
tiam,

riam, quum omnia ibi sufficienter sint proportionata. *II. Secundarium* quod secundario est scibile, propter defectum summæ immaterialitatis ut est omne Ens dependens. 2. secundarium.

18. *Hoc secundarium Objectum* pro duplici statu duplex esse potest; 1. *Actuale* 2. *Possibile*.

19. *Actuale* est, quod actu est extra suas causas, & de facto existit in mundo. *Hoc* divinæ scientiæ objectum esse (1) actuale.  
*probat* argumento duplici 1. *inartificiali* s. à testimonio *Aristot.*

3. *Met.* cap. 4. t. 15. ubi reprehendit Empedoclem, docentem, quod Deus non intelligat contentionem, quia sic Deus non esset felicissimus. & 1. de anim. t. 80. Vide Thom. 1. p. q. 14. a. 5 6. 2. *artificiali*, desumpto ex parte ipsius i. *divinæ scientiæ intelligentiæ*, quæ hujusmodi actuale creatū omnino cognoscit ob suam (1.) *infinite vim cognoscendi*. (2.) *perfectionem summam*. Ast perfectio simpliciter est plura cognoscere s. extendere se ad plura cognoscibilia. Vide Clariss. Scheib. lib. 2. *Metap.* c. 3. n. 426. 2. *objecti actualis*, quod in fieri & esse dependet à Deo, non sanè ignorante, sed sciente & intelligente. Summa enim imperfectio est ignorare & potentiam suam, quam actualiter exercet, & effectum, quod mediante ista potentiâ producit. Unde absurdum est effari: Deum nec scire quid creet & conservet.

20. *Considerari autem potest Actuale hoc Ens* ratione 1. *abstractionis majoris vel minoris*. Et tunc est 1. *Singulare*, quod divinæ scientiæ objectum est ideò, quia est terminus actionis divinæ, quum actiones sint ad singularia. Ex vi autem actionis divinæ ei convenit notitia creaturarum. Vide th. 19. 2. *Universale*, quod à Deo similiter cognoscitur, quia singularia à Deo cognoscuntur quidditative & comprehensive propter summam divinæ cognitionis perfectionem. Ast singularia quidditative & comprehensive cognosci nequeunt sine prædicatis illis communibus & universalibus, quia hæc in Essentia & quidditate singularium includuntur. 2. *Natura*. Et tunc Ens illud est 1. *Necessarium*, quod habet entitatem invariabilem h. e. quæ se aliter habere nequit. *Hoc rursus est duplex* (1) *spirituale* (2.) *materiale* s. corporeum. 2. *Contingens*, quod habet entitatem variabilem id est quæ se aliter habere potest. Utrumq; est objectum divinæ scientiæ, quia utrumq; est terminus divini actus, qui cum non ignoretur à Deo, nec ille ignorari poterit.



2 possibile

21.

*Possibile est, cui, licet jam nondum existat, adeoque existentiam neget, non tamen repugnat aliquando extra suas causas esse & de facto in mundo existere. Huius consideratio duplex esse potest. 1. Generalis 2. Specialis.*

22.

*Generalis est quoad generalem probationem, huiusmodi Ens possibile esse divinæ sciētiae objectum, quod patet ex parte 1. scientiæ intelligentis, quoad probationem 1. Directam & offensivam, quæ desumatur à divinæ scientiæ (1.) infinitate, quæ se ad omne scibile extendit, (2.) eternitate quâ Deus omne tempus adæquat, idq; totum est τὸν χρόνον in omnibus suis distinctionibus & differentiis introspicit, ob quam causam ratione divinæ prævisionis & cognitionis res possibles in conspectu Dei se habent ut præsentis & extra Causas suas existentes. Unde Rev. & Exc. D. Jac. Martini præcept. meus honor. disp. sol. de Provid. Dei th. 122. acutè & eruditè contra Faustum Socinum argumentatur. Ut ergò omne, quod est in se ( ut rectè habet Canon Aristotelis ) quando est, necesse est esse: Sic omne quod Deo præsens est, quando Deo præsens est, necesse est à Deo videri, cognosci & sciri, ut postmodum extra Deum in se futurum est. (3.) constitutivâ mensuratione, juxtaquam divinus intellectus est norma & mensura constitutionis rerum omnium extra Deum existentium, non tantum quoad totam ipsarum Entitatem, sed & causas secundas, quæ similiter à Deo effectivè dependent. Ut autem artificis intellectus naturam & operationes s. effecta operis sui artificiosi, ut talis, scit & cognoscit à priori h. e. ex habitu & arte suâ, nec opus est, ut ex opere illud discat, propter dependentiam operis artificiosi, ut talis, ab intellectu artificis tanquam suâ mensurâ productivâ & constitutivâ: sic multò magis & certius Deus sui operis creati naturam & effecta cognoscet. Ratio imparitatis huius in cognitione desumitur ex disparitate dependentiæ utriusq; operis à suâ mensurâ. Nam opus creatum à suo creatore dependet quoad omnem suam Entitatem, suam causam extrinsecam & intrinsecam, si quam habet; adeoq; consequenter in fieri, esse & operari. Unde omnes operationes, quas creaturæ operantur vel in præsentis, vel in futuro, Deus cognoscit præsentissimè. Contrà opus artificiosum ab artifice pendet quoad Entitatem ( non omnem, quum ipsa materia vel potius actua-*

actuale subjectum, quod effecto isti artificioso subiacet, à naturâ est; sed) determinatam, vid. formam artificiosam. Unde consequenter quædam ex opere artificioso discit, prout naturale subjectum includit, quod sæpe artificiale in suo opere potest *vel impedire, vel ad contrarias actiones impellere. 2. Indirectam s. obliquam, ducentem ad absurdum h. m.* Cuiusq; in tempore irrepit notitia, ille est *tum mutabilis tum non perfectissimus.* Atqui Deo, ab æterno non prævidenti futura, ut præsentia, in tempore irrepit notitia. E. Deus ab æterno prævidens futura, ut præsentia, est *tum mutabilis, tum non perfectissimus.* Conclusio est absurda, quia evertit Dei *tum absolutam immutabilitatem, tum summam perfectionem.* E. absurda erit *vel Major vel Minor,* quia ex veris nil nisi verum. Ast *non Major:* ceu patet 1. de mutabilitate, quæ certè tunc daretur ad & in scientiam. 2. de summæ perfectionis negatione, quia scientia est perfectio. Perfectio autem nova perfectioni priori addita facit subjectum perfectius & p. c. negat summam subjecti perfectionem. E. *Minor,* quæ est adversariorum. Et p. C. nostra contradictoria (quæ hæc est: Deo, ab æterno omnia futura prævidenti, nulla in tempore irrepit notitia.) erit vera, quia contradictio est æternæ disjunctionis, ita ut impossibile sit, duas contradictorias esse simul *vel veras vel falsas II. Objecti intelligibilis quod h. l.* est Ens possibile & objectum divini intellectus esse *probatur argumentatione duplici (1.) absolutâ h. m.* Quicquid non negat omnem entitatis habitudinem & respectum, illud à Deo est intelligibile. Atqui possible non negant omnem Entitatis habitudinem. *Ratio* quia ut aliquando hæc revera sunt in præsentia, sic aliquando revera fuerunt in futuro. Unde non possunt dici *απαρὸς μὴ ὄντα E.* Possible à Deo sunt intelligibilia. Hinc Rever. & Exc. D. J. Martin. præceptor meus honor. disp. sol. de provid Dei th. 149. seq. contra Faustum Socinum c. 8. præl. Theol. rectè & acutè negat, futura Contingentia nullo modo esse (h. e. nullum omnino respectum & determinationem ad entitatem s. esse habere) & consequenter in se non esse scibilia, ita ut vitium & imperfectio non sit in Deo sciente, sed objecto ipso, ad exemplum divinæ omnipotentia, quæ licet in se sit perfectissima, nihilominus factum infectum reddere nequit, ob objecti imperfectionem. Nâ in discursu Sociniano *manifestè* committitur *Elenchus parium, ob confusionem Entium respectivè,* qualia sunt.

lia sunt possibilis, quæ certam determinationem ad entitatem important, *cum non-entibus simpliciter*, qualia sunt illa impossibilia, quæ omnipotentia idè facere non potest, quia sunt non-entia, h. e. contradictionem implicant, & sic mendacium, quum nullum omninò respectum ad Entitatem ullam habeant. Ast potentia in sua productione respicit non non-Ens, sed Ens verum. (2.) *Comparata*, vid. à pari h. m. Deus cognoscit præterita secundum esse reale, quod habuerunt. E. & possibilis futura secundum esse reale, quod habitura sunt. *Ratio connexionis contra Photinianos* petitur ex Canone Logico: *De paribus idem est iudicium*. Conveniunt enim præterita & futura in hoc tertio paritatis, quod licet utrobiq; negetur existentia in præsentis, connotetur tamen determinatio certa ad Entitatem. Vide Becan. p. 1. tr. 1. c. 10. q. 4.

23. *Specialis possibilium consideratio est quoad specialioreni enodationem* 1. *Futurif. futuritionis*, quæ duo importat 1. *carentiam sui esse in instanti præsentis*, cujus respectu futurum dicitur id, quod non est nunc, sed cras vel alio tempore. 2. *existentiam in instanti sequente*. II. *Divisionis possibilium* quæ duplicia esse possunt 1. *Necessaria*, quæ invariabilem possident entitatem. 2. *Contingentia*, quæ variabilia sunt entitative. *Hujusmodi possibilis esse possunt futura* (1.) *absolute* absque conditione & hypothesi annexa. Hæc futura à Deo cognosci, ratione determinatè futuræ actionis, patet, ex parte 1. *scientis intellectus*, quoad ejusdem (1.) *infinitatem* (2.) *immutabilitatem* (3.) *perfectiorem*, ad quam & futurorum horum cognitio pertinet. (4.) *prædictionem*, quæ de futuris contingentibus non potest esse falsa, Sic enim erraret. E. certa. 2. *Objecti futuri*, quod scibile est determinatè. (1) *ob dependentiam* à Deo th. 22. Hinc axioma illud tritum: *Futuri Contingentis non est determinata veritas*, respicit actum intellectivum non quemvis sed finitum, quippe à quo res futuræ contingentes non dependent. Quum autem à divino intellectu, ut constitutivâ mensurâ dependant, Canon ille divino intellectui determinatam veritatem & certitudinem denegare nequit. Idem iudica de illo Canone Logico: *De qualibet re est affirmare & negare*; quam regulam in futuris Contingentibus locum non habere Socinus asserit. Sed hæc assertio non de omni intellectu sed tantum finito admitti potest. (2.) *ob*

*asterm j.*

*Futura absolute*

determinationem ipsius actionis, quæ certò aliquando secutura est, etiamsi possit omitti. Unde licet futura Contingentia ob suam æqualem indifferentiam ad esse & non esse evenire nequeant, antequam determinantur; post factam tamen determinationem ad alterutrum in naturâ, ad esse vel non esse, certo modo se habent. Hæc autem determinatio Deo ab æterno certò cognita est, quippe qui universam naturam *ex ipso vov* simul videt. Hinc juxta Becan. p. 1. tr. 1. c. 10. q. 6. Effectus determinatè futurus excludit indifferentiam (non causæ ac virtutis ejus, quippe quæ indifferens ad operandum & non operandum, sed) actionis quippe quæ determinatè est secutura, etiamsi possit omitti. Ex quibus patet effectum futurum determinatè, ob actionis determinationem, adhuc esse contingentem, ob contingentiam causæ & virtutis operatricis. Plura argumenta vide apud Becan. d. 1 (2) *hypothetice*, quæ sub certa conditione annexa sunt futura. Hujusmodi futura similiter Deo certò cognita sunt, quia ab absolute futuris non differunt nisi in conditione, quâ impletâ, propositio illa redditur quò ad sensum æquivalentem absoluta. Unde argumenta quæ de determinatione contingentis futuri absolute procedunt & hæc certo modo applicari poterunt. Vide & Svar. *dis. Met. 30. f. 15. num. 32.*

24. *Objectum indirectum & obliquum duplex* constitui potest. 1. *Malum ut tale*, quod in bono & propter bonum potissimum cognoscitur & notitiam Dei fugere nequit. 1. Quia cognitio mali est bonitas & perfectio, quâ si Deus careret, aliqua perfectione careret. Et consequenter scientia ejus foret imperfectio. 2. Quia Deus circa malas hominum actiones habet actum disponendi & dirigendi illas in finem bonum. Hinc ita colligo: Deus non potest ignorare actum suum dispositivum & directivum. E. neq; objectum, quod hic est actio hominum mala, ignorare potest. *Ratio connexionis* est, quia hujusmodi actio directiva pendet à contingente hominum actione malâ, tanquam suo objecto, ita ut sciri illa non possit, nisi quoq; hæc præsciatur, quippe in qua ejusmodi dispositio & directio in bonum finem est futura. Unde probe noteretur Scholastica distinctio inter actionem Dei absolutam & dependentem ab actione creaturæ intellectualis contingente illâ Deo

2. *Comparatè.*

(2.) *Indirectum.*

C

abso-

*Error  
Photi-  
nianorū*

absolutè scit, hanc respectivè & determinatè: Ita ut vana sit distinctio Photinianorum inter ipsas malas actiones hominum & inter bonas Dei dispositiones. Has, quia à Deo sunt, dicunt præsciri, non illas: quum tamen dispositiones illæ absq; objecto & circumstantijs suis sciri nequeant. Hinc Excel. D. Jac. Martini disp. sol. de Provid. Dei, th. 109. doctè ait: quod *περὶ τῶν κακῶν & τῶν ἀγαθῶν* in se considerata non aliter ad mala & peccata, quàm ad bona & recta se habeat, scil. quoad certitudinem & infallibilitatem, licet libentius bona, non libenter mala, priusquam fiant & sint, videat. *II. Entia rationis*, quæ Deus cognoscit non ratione propriae formationis, q. ipse Deus Entia rationis formaret, quum hæc formatio sit ab intellectiois imperfectione, quippe quæ *vel* per modum Entis apprehendit id, quod revera Ens non est, *vel* aliter accidit: sed ratione obliquæ Cognitionis, quæ Deus cognoscendo hominis intellectioem, consequenter cognoscit formalem illum conceptum, qui in humano intellectu formatus est de Ente rationis. Ast intellectio & conceptus formalis cognosci nequeunt sine cognitione conceptus objectivi h. e. ipsius objecti, quum intellectio nihil aliud sit, quam representatio objecti cognoscibilis in potentia cognoscente. Vide. Clar. Scheib. l. 2. Met. c. 3. n. 450 seq. Hinc consequenter Deus cognoscit Negationes & impossibilia, quæ sunt objecta & fictions intellectiois humanæ. Vide. Scheibl. d. I.

*IV. Modus.*

25. *Modus cognitionis divinæ considerari potest dupliciter.*

*I. Generaliter*, quoad generalem conditionem notitiæ divinæ, competentem Deo respectu omnis scibilis. *II. Specialiter*, quoad specialioremodum in specialiori objecto.

*I. Generalis.*

26. *In Generali consideratione notetur, quod modus Cognitionis divinæ sit v. simplex & intuitivus*, quo Deus in se uno, æterno, perfectissimo & simplicissimo intuitu l. intelligendi actu omnia

*i.*

,,

,,

,,

simul videt, cognoscit, modo nobis imperferutabili. *Dixi notanter in se, Quia intellectio divinæ considerari potest dupliciter: i. in se & tunc est simplicissima, una & indivisibilis. Ratio est, quia Deus in se suaque intellectuione nullas variationes & vicissitudines admittere potest, ob divinæ essentiæ & intellectuionis absolutam immutabilitatem, quam Vide. thes. 38.*

Unde  
intelle-

Deus per vices non intelligit, q. intellectum modo ad unum, modo ad alium videndum converteret, sed omnia immutabiliter uno actu videt & cognoscit. 2. *In signo rationis*, ut vocant Scholastici, h. e. ratione objectorum, in quæ fertur ista intellectio. Et tunc intellectiones divinæ aliqualem ordinem inter se ad invicem observant, pro diversitate, differentiâ & ordine ipsorum objectorum, in quæ feruntur actus divini intellectus ut & voluntatis. Prout enim unum objectum in tempore prius est alio, quod ab illo dependet, sic in signo rationis unum instans ut præcedens, alterum ut subsequens concipitur, modo tantum nostro intelligendi, cum fundamento tamen in re, quia aliter objecta ea in æternitate non cognoscuntur, quam se habent in tempore; siquidem æterna cognitio, si aliter se haberet, rei conformis & p. C. vera non esset. Hinc cum pœna delictum sequatur, & ab eo dependeat, dicimus Deum in primo signo delicta hominum cognoscere, & his cognitis in secundo pœnas decernere. Per huiusmodi Instantia & signa rationis. Rev. & Exc. D. Calixtus Epit. Theol. p. 143. distinguit actus divinæ intellectiois & volitionis circa æternam nostram prædestinationem. Hæc autem signa s. instantia, quæ in æternitate assignamus secundum nostrum concipiendi modum, solum variationem aut mutationem inferunt in ipsis temporalibus objectis. II. *non a. Complexus & quidem neg. 1. Compositivus* qui instituitur per Compositionem & divisionem Enunciativam sive formationem Enunciationis. Hic modus Deo non competit ob imperfectionem, quam implicat partitio illa actuum intellectuum. Quia enim intellectus noster distinctâ intellectione simul ferri nequit ad plura objecta, juxta diversitatem intelligibilium, partitur suam intellectioem. Ast intellectus divinus distinctissime uno actu omnia objecta cognoscit, scil. eò, quo se ipsum cognoscit. Vide Thom. 1. p. q. 14. art. 14. 2. *Discurivus* quando alicujus scibilis noticia acquiritur per discursum. Hic modus cognoscendi divinæ intellectioi similiter competere nequit, Quia omnis discursus importat notitiarum successioem, earumque multitudinem præsupponit. Ast divinæ intellectiois rum simplicitati, rum perfectioni sumamæ repugnat intellectioem pluralitas & successio. Hinc

2.  
(1.)

(2.)

29 Hinc, Deo non competit *Discursus* (1.) *Continuus*, qui fit per conti-  
 29 nuam successione[m] cum dependentiâ unius à notitiâ alterius.  
 Hujusmodi continuus discursus datur in syllogismo, in quo per  
 continuam quandam successione[m] notitiâ conclusionis, ut dubia  
 alia & ignora, pender in assensu à notitiâ præmissarum, ut notio-  
 27 rum. Unde Deo hujusmodi discursus non competit ob ejusdem  
 29 imperfectionem multiplicem, quoad ipsius cognitionis. 1. succes-  
 29 sione[m] 2. varietatem & pluralitatem. 3. dependentiam dubiâ à no-  
 29 tiori. Et licet Deus cognoscat tùm causas, tùm effectus, tamen ista  
 cognitio est simplex & intuitiva, quâ in se ipso omnia illa cogno-  
 scit: non autem discursiva aut ratiocinativa; quia ista divina noti-  
 tia est citra mutuam dependentiam, ita ut effectum non cogno-  
 scat ex causâ vel per causam. Vide D. Gravercent. 1. ill. q. dis 2.  
 q. 6. Scheib. l. 2. Met. c. 3. n. 469. Ex hisce merito rejicitur *Error*  
*Conradi Vorstij*, qui in lib. de Deo & div. attrib. p. 271. ait: de qui-  
 bus Deus nihil absolutè definivit, ea ratiocinando in hanc vel il-  
 lam partem colligere dicitur. Vide contra ipsum D. Christian.  
 Matthiæ coll. 2. Antiphot. ex. 4. Prob. 3. f. 1. (2.) *Discretus* q. qui  
 fit per discretam & interpolatam successione[m], citra dependen-  
 tiam notitiæ unius ad aliam v. g. cum cognitis plantis cognosco  
 doctrinam de Metallis &c. Hic discursus similiter Deo attribui  
 nequit, ob imperfectionem in notitijs istis, quoad tùm successione[m]  
 tùm pluralitatem.

Error  
 Vorstij.

2. *Specia-*  
*lis ratio-*  
*ne objecti*  
 (1) *Dire-*  
*cti.*

27. In speciali consideratione *modus* ille simplex enodatur  
 quoad specialio[m] determinationem & restrictionem ad objectum  
 scibile 1. directum 2. indirectum.

28. *Directi objecti cognitio explicari potest viâ duplici* 1. *Ne-*  
*gativa* s. *destructiva*, quâ removetur *modus* cognoscendi opinati-  
 vus saltem & adulterinus, qui est per speciem aliquam. *Deus enim*  
*non cognoscit tùm seipsum, tùm creaturas suas per verâ & in rigore di-*  
*ctam ideam* 1. *intrinsicam* h. e. speciem intelligibilem, intellectui  
 cognoscenti impressam, ceu patet ab hujusmodi speciei officio du-  
 plici vid. (1) unitione objecti intelligibilis cum intellectu cogno-  
 scente. Objectum enim debet esse approximatum potentie cogno-  
 scenti v. g. quam ab humano intellectu multa quoad essentialiam  
 suam absint, cognitio humana necessariò fit per speciem s. ideam  
 intelli-

intelligibilem, vicariam obiecti scibilis, quod illam humano intel-  
lectui imprimit, ut per hanc sui speciem ipsi intellectui fiat præ-  
sens scilicet intencionaliter & idealiter. Ast cum hæc imperfectio di-  
stantia ab obiecto scibili divino intellectui attribui nequeat, ob di-  
vinæ essentia, (cum quâ intellectus realiter idem est) immensita-  
tem & præsentiam ad omnes creaturas, neq; huiusmodi repræsen-  
tativa sive vicaria species ipsi attribui poterit. Hinc rectè Scal. ex.  
365. d. 3. Non intelligit Deus per speciem sed per sui ipsius præsen-  
tiam. (2.) *actuacione* & determinatione potentia cognoscentis, quæ  
ex sese indifferens est ad obiectum hoc vel illud scibile. Ast in-  
tellectus divinus est pura actualitas, propter infinitam suam vir-  
tutem & perfectionem non admittens *tum* effectivum concu-  
sum obiecti scibilis per sui speciem, *tum* determinationem ad hoc  
vel illud intelligendum, quia semper est in actu secundo respectu  
omnium obiectorum intelligibilem, eo etiam modo, quo intel-  
ligibilia. v. g. cognoscit res intelligibiles præteritas secundum esse,  
quod habuerunt; futuras secundum esse quod habebunt; præsen-  
tes secundum esse, quod habent. Contra creatus noster intellectus  
ob suam *tum* finitudinem, *tum* potentialitatem exire in actum se-  
cundum nequit, nisi ab obiecto determinetur. 2. *Externam*, q. Deus  
in mundi creatione intuitus fuisset ideam aliquam extra se posi-  
tam, ad cuius mutationem hunc crearet mundum, veluti pictores  
extra se positam imaginem intuentur, ad cuius similitudinem a-  
liam efformat atq; pingunt. Deus n. huiusmodi externo exemplari  
non indiget, quum intra se habuerit Ideas rerum omnium, quas  
facturus erat. *I. positivâ s. adstructivâ*, quâ verus & legitimus Cogni-  
tionis divinæ modus investigatur, qui est simplex intuitus, quo  
Deus nomina intuetur & cognoscit per seipsum & in seipso.

29. *Legitimus hic modus considerari potest dupliciter ratione*  
*obiecti i. primary*, quod est ipsa divina essentia, ita ut hic intellectus  
& intellectum realiter coincidat, vel omnino idem sint. *II. secundarij*  
quod est Ens creatum.

30. *Et tunc ex Scholasticis notetur Distinctio inter intelli-*  
*gibile i. ut Quod, quod est ipsum repræsentatum & h. l. proprium esse*  
creaturarum, respectu status *tum* actualis, *tum* possibili. Cognos-  
cere a. Deum scibilia creata in esse (non tantum suo eminenti, sed



etiam ipsorum ) proprio, patet ex parte 1. Intellectus divini cognoscens, qui suâ infinitate extendit se ad omnia scibilia: 2. objecti cognoscendi. Si enim Deus creaturas suas non cognosceret secundum illud esse, secundum quod ab ipso Deo vel creanda sunt vel creata, tunc certè non ipsas creaturas, sed tantùm se cognosceret. Sed consequens est falsum. E. & antecedens. Hinc nota, quando nonnulli negant Deum cognoscere creaturas in seipsis, illud intelligendum est tùm de dependentiâ intellectivâ, vid. quod Deus scientiam, quam de creaturis habet, non accipiat à creaturis, tùm de objecto primario. Vide Svaretz. Dif. Met. 30. f. 15. n. 25. *II ut Qvò, quod est ipsum representans & h. l. ipsa divina essentia, considerata sub officio i. non absoluto*, ratione tùm Deitatis præcisè tùm objecti primarij priùs cogniti, quia sic saltem absolutam importat conditionem, nullam veram relationem aut ordinem ad objectum intelligibile extraneum. Vide D. Gravv. cent. 1. Ill. q. Dif. 2. q. 5. th. 9, Becan. p. 1. tr. 1. c. 10. q. 4. 2. *sed respectivo*, tanquam in verbo mentis & specie expressa representante, vid. qvat. ipsa actualis cognitio intellectualiter representat res omnes creatas, ab ipso cognitatas, ita ut divina essentia sit instar lucidissimi speculi. Quem admodum enim in uno speculo per species, in speculo extantes, actu intueor multa simul objecta, absq; tamen ipsius speculi vel multiplicatione, vel mutatione reali; Sic Deus in essentiâ suâ, intellectualiter res creatas representante, illas omnes uno intuetur actu, citrà tamen essentiæ suæ tùm multiplicationem, tùm mutationem per specierum additionem, aliamq; conditionem.

31. *Dari autem hanc actualem representationem creaturarum in essentiâ divinâ probare annuntiantur Scholastici hoc argumento: Quicumq; perfectè seipsum cognoscit, ille etiam perfectè suam cognoscit virtutem, & per C. in eâ etiam omnia ista, ad quæ virtus illa se extendit. Ratio connexionis hæc datur. Quia causa efficiens totalis intellectualis est representativa sui effectus, quem continet virtualiter.* Atqui jam de Deo verum priùs. E. & posterius. Vide Biel, 1. sent. d. 35. q. 2. Thom. 1. p. 1. q. 14. ar. 5. Qvos contra Averroem adducit D. Gerhardus tom. 2. de Prov. th. 22.

32. *Ob hanc intellectualem representationem creaturarum.*  
Scho-

Scholastici *divino intellectui tribuunt Ideas*, quæ sunt rationes quædã stabiles & immutabiles, cognitæ à principio activo intellectuali, ad quas activum aspiciens potest aliquid in esse reali intellectualiter producere. Vide August. l. 83. quæst. q. 46. ubi harum idearum causam & conditionem audies.

33. *Ha autem Idea ex mente Scholasticorum intelligenda sunt in sensu non univoco & rigorose dicto, sed analogo potius per analogiam eminentia s. perfectionis, quæ contingit 1. per remotionem omnis imperfectionis, quæ h.l. est subjectiva inhæsiõ. Non enim ad modum artificialis Ideæ s. exemplaris. divina Idea subjectivè & per actua- lem inhærentiam divino intellectui inest, cum sit ipsa divina essentia, juxta Thom. p. 1. q. 15. a. 1. Hinc illud Bielii 1. sent. dist. 35. q. 5 In Deo sunt ideæ non subjectivè s. realiter, sed objectivè. Ob quam causam Idearum multitudo non repugnat divinæ intellectio- nis simplicitati, quum illa sit non secundum rem, sed tantum secundum rationem, per respectus rationis ad diversas res creabiles. Vide D. Gerhard. tom. 2. de Provid. th. 26. 2. per attributio- nem omnis perfectionis, quæ hic potissimum triplex (1.) directio intelle- ctualis agentis, ut in certum scopum & terminum tendat. Hæc autem directio non est nisi representativa, quæ sit per actualem mentis re- presentationem, quæ veluti lumen quoddam, ostendens viam & terminum operationis. Hinc August. ait: tam certum esse Deum habere ideas, quàm est certum operari ex ratione (2.) Mensuratio vid. ut mensura & regula veritatis rei factæ. Hinc Metaphysici di- cunt: veritatem Entium creatorum sumi ex conformitate ad exem- plaria, quæ sunt in intellectu divino, ut ad mensuram suam. Ex hisce patet diversitas inter intellectum creatum & increatum. Ille enim in cognoscendo & sciendo simpliciter à rebus pendet, quippe à quibus mensuratur & veritatem concipit, juxta rei vel neces- sitatem vel contingentiam, ita ut in intellectu illo sit vel certitudo vel probabilitas opinativa: Hic autem mensurat res omnes, extra Deum existentes s. in tempore præsentis s. futura. Habet n. Deus in se ab æterno priores ideas rerum verarum s. in se necessariarum s. Contingentium, secundum quas res in tempore fiunt & existunt. Hinc juxta Rev. & Exc. D. J. Mart. præcept. m. h. Dis. sol. de Prov. th. 129, res creatæ omnis generis in essendo & operando*

Idearum  
definitio.

”

”

”

”

”

pen-

pendent ab intellectu divino, ita ut intellectus divinus intelligendo prior sit rebus in essendo. (3.) esse principium cognitionis formale. Vide Svar. Dif. Met. 25. l. 1. n. 7 seq.

(2.) In-  
directi.

34. *Modus cognoscendi Objectum indirectum*, potissimum malum culpæ accuratè explicari nequit, quandoquidem hoc malum nullo planè modo à Deo causaliter pendet. Si tamen aliqualem & adumbratilem q. expetis delineationem, hanc tibi offerunt Scholastici, quod *Deus cognoscat malum hoc indirectè & mediatè vid. mediante bono duplici 1. Subjectivo*, cui inest. Cum enim Deus in ipsà æternitate omnes suas bonas creaturas & totam ipsarum durationis & actionis varietatem & latitudinem videt, etiam defectus illos & mala in illis suborta videt: cum ejusmodi mala, ut rectè docet August. non sint, nisi in bono *opposito*, quod est bonitas creata moralis, in quâ malum cognoscitur, ut in suo opposito, non specie representante. Vide gratiâ brevitatis D. Gravv. cent. 1. q. 111. dif. 2. q. 5. th. 14. Quæ duplex delineatio, benevole Lector, si tibi non satisfacit, cogita illud antiquum: *Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra*, præsertim cum multa in Deo sint, & à Deo, quæ infinitis modis nostrum intellectum superant. Exemplo tibi sit. Creatio creaturarum ex simpliciter non existente, Cujus *ratio* quidem cognoscis, *ratio* *divina* autem accuratè non explicabis.

V. Pro-  
prietas,  
quæ

35. Sequntur jam *proprietates & Conditiones*, intellectio- nis divinæ, quæ potissimum *due* sunt. 1. *Perfectio* summa. 2. *Inmutabilitas*, quæ ex perfectione sequitur.

1. Perfe-  
ctio.

(1.) Ex-  
tensiva.

(2.) In-  
tensiva.

36. *Perfectio* summa divinæ intellectio- nis excludit atq; re- movet omnem gradum imperfectionis, tam privativæ, quàm negati- væ. Hinc *perfectio hæc intellectiva duplex est: 1. Extensiva* (non Entitative ex parte ipsius scientiæ & essentiæ, quippe quam respicit indivisibilis & simplicissima Entitas divina, sed) *objectivè*, ex par- te objecti, quod vid. Intellectio divina, in se aliàs simplicissima, omnia objecta scibilia intueatur, ita ut nullum intelligibile divi- nam intellectionem effugiat. 2. *Intensiva*, scil. *intentione* (non propria & gradualis, qualis aliàs in Qualitatibus datur, simplicissi- mæ autem & substantiali Entitati repugnat; sed) *Metaphoricè & analogicè*, quæ in divinâ intellectione & scientiâ notat summam claritatem & evidentiam maximam, ob quam divinus intellectus nunquam

nunquam hallucinatur, enim ipsi creaturæ evidentissimè sint cognitæ, non tantùm in esse proprio, sed & dispositionibus causarum. *Deus enim futura etiam contingentia clarissimè intuetur. (1.) in esse proprio (2.) in causis ipsorum tum externis, tum internis, si quas habent, quoniam & hæ omnes à Deo pendent & in esse & in operari. Ubi nota quod Deus hosce futuros effectus cognoscat non præcisè, in libertate & indifferentiâ arbitrii nostri, quia sic libertas nostra indifferenter se habet ad omnes effectus, qui ab illâ emanare possunt, sed in ejusdem determinatione in certam partem quandoq; actualiter futurâ, quam infinita vis divini intellectus penetrat & comprehendit. (3.) in antecedentibus, adjacentibus, & cæteris circumstantiis.*

37. *Ob hanc intensivam perfectionem à divinâ intellectione sedulò & cautè removendi erant termini notitiæ imperfectioris, quales sunt 1. Notitia confusa & gradualis, cum utrobique magna imperfectio adsit. Ex quo patet error Conradi Vorstii de graduale Dei scientiâ, in lib. de Deo & attrib. div. p. 275. teste D. Christian. Matthiæ col. 2. Antiphot. ex 4. prob. 3. f. 1. er. 3. 2. scientia tum à priori quæ discursum importat, tum à posteriori, quando cognitio effectus est causa cognitionis Causæ. Hæc similiter Deo non competit, quia manifestam includit imperfectionem ex parte (non objecti sed) cognoscentis. Et licet Philosophi Deo attribuant cognitionem propter quid: tamen dictio illa propter quid intellegenda est ex parte non cognoscentis, sed objecti, quat. simplicissimo intuitu cognoscit, quinam effectus ex hac vel illâ causâ dependeant. Vide Syar. dif. Met. 30. f. 15. n. 38. 3. Opinio, quippe quæ importat assensum fluctuantem, & debilem propter adjunctam formidinem alterius partis contradicentis. Ast per debilem assensum manifestè insinuatur Imperfectio. 4. Fides, quia hæc duplicem subinfert imperfectiorem. (1.) Indifferentiæ & obscuritatis, quæ clarissimo Dei intuitui repugnat. (2.) dependentiæ ab autoritate & decreto dicentis. Nam respectu sui ipsius non est actus credendi ut*

Error  
Vorstii.

D

scil.

scil. quis assentiatur verbis propriis ob sui auctoritatem. Ast  
 Deus à nullius dicentis auctoritate dependet, cum sit *ἀνεπηρέ-*  
*στος* 5. *Consilium* propriè & rigorosè sumtum, quat. no-  
 tat diversarum sententiarum collationem. In hac enim sup-  
 positione terminus consilii Deo competere nequit, quia tunc  
 notat imperfectionem (1.) animi dubii. Consultamus e-  
 nim ut in dubio videamus quid tutius vel verius sit. (2.) mul-  
 tiplicatarum intellectuum. Quat. autem vox consilii ana-  
 logicè supponitur pro assensu simplici, purificato ab impru-  
 dentiâ & temeritate, Deo competere potest. 6. *Prævisio* &  
*recordatio* quat. propriè supponuntur per ordinem ad præ-  
 terita & futura, quæ cognoscuntur. *Hoc modo Deo non com-*  
*petit* (1.) *prævisio*, quia Deo omnia sunt præsentia, nihil absens  
 & futurum. Vide Scal. ex. 365. f. 8. (2.) *Recordatio* s. *Remini-*  
*ſcentia*, quia hæc est eorum objectorum, quorum notitia in  
 intellectu nostro abscissa q. est, per oblivionem, teste Scal. ex.  
 207. f. 2. Hæc autem omnia imperfectionem important, quæ  
 intensivam divinæ intellectiois perfectionem evertunt. Si  
 autem terminos hosce in analogiâ aliquâ ampliare cupis, ita  
 ut sumantur simpliciter juxta ordinem temporis quod est  
 (non in cognoscente, sed) præcisè in objecto cognoscibili,  
 quod est *vel præteritum vel futurum*, suo sensu Deo attribui  
 possunt, quat. ille cognoscit res & futuras & præteritas, absq;  
 tamen intellectiois suæ imperfectione.

2. *Immu-*  
*tabilitas.*

(1.) *In-*  
*trinsicca.*

1.

2.

38. *Immutabilitas* à divinâ intellectiois omnem re-  
 movet variabilitatem & vicissitudinem, ita ut Deus nullo mo-  
 do. mutetur ab ignorantia ad & in scientiam, ab incertitudine  
 ad & in certitudinem, vel contra. Est autem hæc immuta-  
 bilitas divinæ intellectiois *intelligenda de mutabilitate* 1. *In-*  
*trinsicca* & quidem *sub consideratione* (1.) *absolutâ* & *secundum*  
*se suamq; realem Entitatem consideratâ*; vid. prout divina in-  
 tellectio est ipsum reale esse divinum. Et sic scientia DEI  
 omnino est immutabilis propter realem identitatem cum  
 immutabili divinâ essentiâ. (2.) *respectivâ ratione ipsius respec-*  
*tus rationis*, quo scientia Dei refertur ad objectû extrinsecum  
 à se

à se cognitum. Hoc respectu scientia Dei similiter dicitur immutabilis, quia scientia Dei ab æterno per modum simplicis intuitus terminata quasi fuit ad rem creatam tanquam uno tempore futuram, altero præsentem, tertio præteritam. Vide Becan, p. 1. tr. 1. c. 10. q. 16. Unde etiam quoad ipsam rationis relationem nulla adest variatio ex parte scientiæ Dei. 2. *non autem necessario de extrinsecâ & objectivâ.* Potest n. objectum divinæ scientiæ omninò mutari, ita ut ratione sui & in tempore moveatur à non esse ad esse, ex futuro in præsens, ex præsentem in præteritum. Hæc autem mutatio objecti scibilis & sciti nullam in actu divino sciendi ponit mutationem, quia illa mutatio tantum est objectiva s. in scito enunciabili, extra Deum, à quo tamen divinus intellectus non pendet, ceu nos, qui ob hanc dependentiam etiam subinde mutatur. At divina scientia & visio in se non admittit eam successione, quam importat fluxus ille temporis, & rerum existentia suo illo fluxu temporis durans extra Deum. Unde rectè distinguunt Philosophi inter scientiam præteriti & futuri, & existentiam in præterito & futuro. Illa n. esse potest in præsentem & in instanti quasi, re nihilominus extra mentem sub diversis temporis distinctionibus existente & mensuratâ tempore h. e. secundum prius & posterius.

39. *Hec divinæ scientiæ immutabilitas & Infallibilitas necessaria est, aliqualem importans necessitatem ex parte 1. DEI scientis, cujus actus internus intellectualis, in se consideratus, objectum scibile tum primarium tum secundarium cognoscit necessario scil. necessitate (non indigentia, quasi Deus objectis creatis cognoscibilibus indigeret, cum potius creaturæ indigeant divinâ scientiâ, ut actu sint. Vid. Svar. dis. 30. f. 15 n. 26. sed) consequentiæ & consecutionis ad positionem summæ divinæ perfectionis, ob quam Deus creaturas suas ignorare nequit. Hinc quando dicitur: Non quia Deus scit futurum esse, idcirco erit; sed quia futurum est, ideo scitur à DEO, antequàm fiat, intelligendum hoc est secundum causam (non essendi sed) consequentiæ h. e. si futura hæc sunt,*

D 2

(2.) non  
a. neces-  
sario ex-  
trinsecâ.

Ex hæc  
Immuta-  
bilitate  
aliqua  
fluit ne-  
cessitas,  
ex parte  
1. scienti-  
æ.

sequitur necessariò, quod Deus ea præciverit. 2. *Objecti scē-*  
*bilis secundarii s. Entis creati cogniti, cui divinæ intellectionis*  
*immutabilitas & infallibilitas necessitatem quandam videtur in-*  
*ferre, verùm i. non absolutam, antecedentem & intrinsecam,*  
*quæ oritur ex causâ antecedente & necessario operante, atq;*  
*ad unum determinatâ: Qualis necessitas antecedens datur in*  
*connexione effectus necessarii cum suâ causâ naturali & de-*  
*terminatâ ad unum saltem oppositorum. Hæc autem ne-*  
*cessitas non datur inter divinam scientiam & rem futuram.*  
 (1.) (1.) quia scientia Dei, præcisè & nudè considerata, non est  
 causa rerum futurarum, sed adjunctâ voluntate, ceu patet de  
 ipsa Essentiâ divinâ, malis, Entibus rationis & impossibili-  
 bus, quæ Deus cognoscit, neq; tamen ipsorum causa dici po-  
 test ob nudam notitiam. (2.) quia necessitas vel contingen-  
 tia effectuum istorum desumenda est ex necessitate vel con-  
 tingentiâ causæ (non primæ & universalis; sic n. ob Deum,  
 liberè agentem, omnia effecta essent libera, sed) particularis,  
 cujus respectu effectus necessarius vel contingens dicitur,  
 juxta regulam: *Denominatio fit à causâ particulari non univer-*  
*sali. 2. Sed saltem hypotheticam, consequentem, s. comitantem,*  
 quæ oritur ex nudâ positione alicujus conditionis vel ipsius  
 effectus, etiamsi hic liber sit, & à causâ liberâ s. indifferente  
 proveniat. h. m. propter divinæ scientiæ immutabilitatē omnia  
 necessariò dicuntur fieri, scil. necessitate saltem comitante &  
 hypotheticâ, propter nudam præsuppositionem divinæ præ-  
 scientiæ immutabilis, cui res omnes sunt præsentēs; *Omne a:*  
*quod est, eò ipso dum est, necesse est esse, scil. necessitate consequen-*  
*tiae.* Sic ratione divinæ prævisionis infallibilis ego jam neces-  
 sario disputo, necessitate (non antecedente, quia nulla adest  
 causâ antecedens, quæ urgeat, aut necessiter me ad hunc actū,  
 sed) hypotheticâ propter nudam prævisionem infallibilem  
 istius actus.  
 40. *Hæc a. hypothetica & externa necessitas non tollit*  
*actus ipsius internam contingentiam & variabilitatem, quia ex-*  
*trinseca conditio, ut talis, internam rei naturam variare non potest.*  
 Ob

Ob quam causam certitudo & infallibilitas cum Contingentiâ omninò stare potest v. g. Petrum jam loqui aut ambulare est certum & infallibile & tamen liberè ab ipso factum, cum aliter esse potuerit. Adde quod contingentia non quævis necessitas, sed saltem absoluta & intrinseca, accuratè opponatur. Hinc rectè D. Gerhardus tom. 2. de Prov. c. 3. th. 39. Præscientia Dei non affert rebus immutabilitatem à priori, sed saltem à posteriori h. e. quando Deus scit rem esse, necesse est eam esse: interim tamen res suâ naturâ & respectu suarum, causarum poterat aliter esse & tunc Deus aliter præcivisset.

41. Ex his liquidò patet error eorum, qui ex immutabili & infallibili Dei præscientiâ actionem fatalem, adeoq; consequenter intrinsecam peccandi necessitatem inferre anuntuntur. Contra quam erroneam opinionem Vide Rev. & exc. D. Meisn. præc. m. h. p. r. Phil. sob. f. 4. c. 9. q. 4. D. Gerhard. d. l. D. I. M. q. ill. cent. 8. q. 3. th. 14.

42. Nec erroris illius patronos juvat speciosa illa regula Logicorum: *Quando conditionalis propositio est vera, si antecedens ejus est absolute necessarium & consequens ejus erit absolute necessarium.* Ratio Canonis datur hæc: Quia aliàs in bona consequentia antecedens esse posset verum, & consequens falsum. Ex hac regulâ Logicâ ita argumentari solent: Si Deus absolutè & necessariò scit Petrum peccaturum, utiq; illud absolutè necessariò eveniet. Ratio connexionis desumitur ex regulâ superiori. Atqui verum prius. E. & posterius. Sed rectè R. in probatione, ex regulâ illâ desumptâ, committi fallaciam à dicto secundum quid. *Non enim regula illa procedit de necessitate præcisè sumptâ, sed saltem de intrinsecâ necessitate:* quando antecedens est necessarium ex intrinsecâ terminorum connexionem. De extrinsecâ autem necessitate non procedit, quando antecedens est necessarium saltem ex accidenti & suppositione quadam v. g. in præsentî exemplo, in quo Deus non habet intrinsecam connexionem necessariam cum peccato Petri, sed saltem ex suppositione: quia posito quod Petrus sit peccaturus, Deus non potest illud ignorare,

Obiectio.

Solutio.

”  
”  
”  
Error  
quorum-  
dam.



quia est Omniscius. Vide D. Grav. cent. 1. q. ill. dif. 10. q. 3.  
th, 14.

6. Diviso.

43. De divinæ intellectiōnis distinctione notetur, quod duplex ejus intellectiōnis consideratio institui possit, 1. a parte rei, & sic una saltem simplissima & intuitiva datur cognitio, propter realem ejus identitatem cum divinā essentiā. Hinc ut ipse Deus est aliquod unum, sic & ea, quæ in ipso sunt, unum quid sunt cum divino esse. 2. a parte inadæquatorum conceptuum, quos nos de unā istā & simplici divinā cognitione formamus. Et sic varia dantur membra distinctionum, quæ respondent nostris diversis iisq; inadæquatis, conceptibus.

1.

44. Hoc modo Scholastici divinam cognitionem dividunt. 1. In scientiam visionis, quā Deus intuetur ea, quæ coram sunt, s. quæ esse actuale, vel habent, vel habuerunt, vel habitura sunt: & simplicis intelligentiæ, quā Deus cognoscit ea, quæ in nullo tempore habebunt esse actuale, qualia sunt possibilis, nūquā tamen futura. Vid. Thom. p. 1. q. 14. ar. 9. Rationem hujus diversæ denominationis pete ex Scheib. l. 2. Metap. c. 3. n. 476.

2.

45. Posteriores hæc denominationes ex intentione Thomæ desumuntur a triplici respectu, vid. a Cognitiōnis 1. Objecto scibili s. scito, quod si operabile est, scientiam infert Practicam, quā Deus omne Ens creatum cognoscit: Si autem non operabile, quale est ipsum Dei esse, scientiam saltem speculativam gignit. Hoc nota contra Scotum qui in prol. sent. & in d. 38. docet, Cognitiōnem, quam Deus de se habet esse Practicam. Contra quem Vide Valent. t. 1. d. 14. p. 8. 2. Modo: ut puta, cum Deus apprehendit conceptus nostros, quibus definimus aut dividimus res, hoc est, de rebus speculamur. 3. Fine, qui si est nuda veritas, speculativam cognitiōnem infert, si autem, ulterior operatio, practicam gignit, quæ in providentiā Dei potissimum respicitur, quoad (1) universalem productionem, omniū in omnibus. (2.) particularem quandoq; determinationē. Ubi tamen nota scientiam Dei, ut h. m. practica est, considerari potius cū voluntate Dei conjunctā, quàm in se separatim.

Plures divinæ scientiæ distinctiones si expetis, evolve Alsted. Theol. natur. p. t. p. 87. Corol-

## COROLLARIA.

### I.

CAUSA CAUSÆ est etiam causa causati.

*Hic Canon intelligi potest de causandi genere. I. Diverso, b. e. ut causa causa (scil. subalterna & intermedia) & causa causati obtineant diversam causalitatem seu causandi rationem. Hoc modo Canon valet in combinatione causæ. I. Efficientis & formalis ita ut efficiens sit causa forma ratione entitatis respectiva, vid. quæ forma est. 2. Efficientis & finalis. II. Eodem, b. e. ut tam causa causa quàm causa causati intermedia sint in eodem causandi genere. I. Materiali, ita ut quod est materia materia intermedia, sit etiam materia materiati ultimi. II. Finali, ita ut quod est finis intermedia rei est etiam finis finiti, cujus illa res finis est. III. Effectivo potissimum, ita ut tam causa causa, quàm causa causati intermedia sit efficiens. Ettunc procedit de causa causæ (1.) Physica, qua per realem & Physicum influxum influit in esse causati. Intelligitur autem hic Causa Physica in subordinatione necessaria & essentiali. Hujusmodi necessaria subordinatione cause inferioris ad superiorem subordinantem in sua amplitudine duplex esse potest ratione 1. Principalitatis. Hoc modo instrumentum subordinatur cause suæ principali juxta reg. Instrumentum non movet nisi motum à principali. 2. Universalitatis. Hoc modo causa particularis subjacet cause universali & prima, scil. in concursu (1.) Speciali. (2.) Generali. quoad causati entitatem præcisè; non autem quoad actionis & effecti spec-*

specificam denominationem, determinationem & adjun-  
ctam ἀναξίαν seu malitiam. Hac enim posteriora infe-  
riori causæ competunt juxta reg. A particulari causa fit  
& denominatio & determinatio. (2.) Ethica seu Mo-  
rali, qua citra realem influxum in effectum, ita se habet  
ad causam Physicam, ut ipsi imputetur effectus, propter  
causæ Physicæ. 1. Applicationem. 2. non impediti-  
onem, cum possit & debeat. Hinc regula: Qui malum  
aliquod permittit & non prohibet cum potest ille est cau-  
sa mali subsequenti. 3. inclinationem & inductionem  
per rationem quandam moralem. v. g. Consilium,  
mandatum, petitionem, &c.

II.

*Futuri contingentis non est determinata veritas.*

III.

*Abstractio secundum rem & rationem non est Me-  
taphysica.*


IV.

*Decretum divinum est ipsa cognitio rei faciendæ.*

V.

*Volenti non fit injuria.*

SOLI DEO SIT LAUS  
ET GLORIA.







# COROLLARI

## I.

CAUSA CAUSÆ est etiam cau  
Hic Canon intelligi potest de cau  
Diverso, b. e. ut causa causæ (scil. sub  
media). & causa causati obtineant dir  
tem seu causandi rationem. Hoc modo  
combinatione causæ. I. Efficientis &  
efficiens sit causa forma ratione entitat  
quâ forma est. 2. Efficientis & finalis  
ut tam causa causæ quàm causa causati  
eodem causandi genere. I. Materiali, i  
teria materia intermedia, sit etiam m  
ultimi. II. Finali. ita ut quod est fini  
est etiam finis finiti, cujus illa res finis e  
ctivo potissimum, ita ut tam causa  
sa causati intermedia sit efficiens.  
de causa causæ (1.) Physica, qu  
Physicum influxum influit in esse cau  
tur autem hic Causa Physica in subor  
faria & essentiali. Hujusmodi nece  
tio causæ inferioris ad superiorem subo  
amplitude duplex esse potest ratione  
tis. Hoc modo instrumentum subord  
principali juxta reg. Instrumentum no  
tum à principali. 2. Universalitatis.  
particularis subjacet causæ universali &  
concurso (1.) Speciali: (2.) Genera  
entitatem præcisè; non autem quoad



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T1263 Serial No.